



Vita S. CUNRADI Episcopi Constantiensis,
ex MSto.

Incipit Praefatio in vitam S. Cunradi Episcopi & Confessoris.

Cum in amore creatoris aliquid in creatura ejus dignis laudibus predicatur aut colitur, ad ejus procul dubio laudem refertur, qui auctor ipsius invenitur. Quia vero scriptura dicit: mirabilis Deus in Sanctis suis, jure de artificis laude intelligitur, quidquid in artificio laudabile vel mirabile magnis laudibus celebratur. Unde scriptum est: laudate Dominum in Sanctis ejus. Ergo, si ad Christum Redemptorem nostrum refertur, quidquid Sanctis illis a fidelibus pro reverentia exhibetur: conatu, quo valemus [celebrare debemus] memoriam abundantiae suavitatis ejus, quam per servos suos operari dignatus est, extollendo & laudibus quam maximè claras efficiendo. Si enim apud Deum in memoria in cœlis habentur æterna, quare merita eorum taceantur in terra? Plurimæ quoque utilitates fidelibus subtrahuntur, si Sanctorum gesta oblivione delebuntur. Per exemplum enim plerumque discitur, quod per simplex præceptum minime retinetur. Quapropter de vita & actibus præcessi Confessoris Christi Cunradi aliqua quam paucis stilo cupimus exarare; dicta vel scripta præcedentia non vituperando, sed magis procul dubio modulo nostro sequendo atque laudando; quedam etiam necessario simpliciter his adjicendo. Ceterum fides dictorum penes auctorem erit. Ad nos enim pertinet quæque competenter ordinare: ad illos vero veritatem [in] dictis observare.

Explicit Praefatio.

Incipit vita.

I.

Illustris itaque Cunradus, præclarissimis ortus natalibus, velut eximum fidus Alamannorum rutilat in partibus: cuius parentes in loco, qui *vetusta villa* (*) vocatur, summa dignitate floruerunt, & quod est laudabilis, circa divinum cultum non mediocres extiterunt. Nam mater ejus in loco *vinea dicto*, qui adhuc quoque nobile monasteriorum continet monasterium, (**) primo sanctimoniales feminas, divino mancipandas servitio congregavit: ubi nunc quoque ipsa cum duobus filiis suis *Rudolfo* atque *Welfone* corpore sepulta requiescit. Igitur quasi ex ameno prato exorto hoc flore fragrantissimo, jubar illud S. Spiritus in fonte baptismatis consecutum, & quandoque universo mundo, ut est hodie, magnis ejus virtutibus rutilum, jam iisque domesticis ætate tenerrima habitudine corporis apparebat præmatura, tum pia vultus modestia, tum quoque morum consuetudine modestissima. Senectus enim venerabilis inerat ei, non diurna, neque numero annorum computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Talibus itaque parentes ejus auspiciis incitati, divino servitio decreverunt eum quantocyus mancipari, quod jam ætatis simplicitate videbatur vultu prætendi. Liberalibus demum studiis consecratus, tantum ingenii acumen per supernam inspirationem paulatim est consecutus, ut in morem studiosissimæ formicæ, tanquam ex fertili segete diversorum librorum sapientiae opima verba, veluti frumentorum grana colligeret, quæ in horreo cordis sibi multisque aliis, postea famem verbi Dei sedatura, comprobaret; atque ut apis prudentissima ex multigenitum sentiarum floribus mella conficeret, secundum quod scriptum est: quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel & favum ori meo; ut annuitiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Congregabat sibi quippe in juventute, quibus refectus non deficeret in senectute. Videntes itaque parentes illustris pueri, quod Sapientia sibi in corde illius septenis columnis Spiritus Sancti domum ædificaret, gratulabundi gratias retulerunt bonorum omnium largitor, atque perfectius imbuendum, Clero Sanctæ Constantiensis Ecclesiæ curaverunt eum attentiū commendare. Inter quos positus, quia accensam lampadem jupiter studiit habere, per quotidiana virtutum incrementa lucere coepit, quasi maximum luminare. Non enim ut ceteri consolades, hujus lasciviam securus est mundi, sed die ac nocte meditabatur in lege Domini, semper intentus in id, quod vocatus fuerat [ad] sanctum

(*) Guelhi erant Corites in Alzorf.

(**) Hodie VVingartenie.

Etum ministerium desiderio principali. Quia tunc de prosectori tanti filii risum fecerat Deus matre Ecclesiae, sicut olim legitur fecisse Saræ: quippe illum se gaudebat peperisse, per quem omnes gentes benedicendas jamdudum audierat ex reprobatione.

II.

Eo tempore cathedram Constantiensis Ecclesiae regebat Venerandus Pontifex Notingus Enomine, qui jam sëpe dictum atque dicendum spectabilem puerum *Cunradum* à genitoribus suscepserat educandum, ut sicut Moyses Iosuë, ita ille hunc sibi enutriret successorem. Cernens autem Præfut morum dignitatem cum generis nobilitate in illo convenire, quemadmodum Patriarcha Jacob filium suum Joseph, ita hunc iste præ omnibus coæquavisi coepit adamare, excolare, atque instruere, utpote [quem] vas electionis Domini futurum prenoscebat, quemque cuncta, quæ didicerat, moribus exsorere prævidebat. Optimæ vero indolis adolescens virilis ætatis metas attingens, jam jamque se titillantia carnis desideria jugi castigatione corporis refranabat; atque cœlibem vitam sectando caput serpentis sibi insidianus, fide non ficta, spe non deficiente, atque charitate flagrante conculcabat. Simplicitatem namque columbinam per prudentiam exornabat serpentinam; nequaquam animum incerti otio commodando; sed piis studiis intentus semper in melius proficiendo. Quibus virtutum pennis sublevatus, per Ecclesiasticos consenserat non immerito gradus, donec perfectionis culmen assecutus, presbyterii est honore dignissimè functus. Non ergo tunc, quemadmodum Nadab & Abiu ignem alienum sacrificiis offerens, iracundiam altissimi provocavit: sed spiritu fervens, Domino cum timore serviens, acceptabilem victimam contrito corde & humiliato Spiritu in ara crucis immolabat, dignisque muneribus Christum placare non cessabat.

III.

Predictus vero Pontifex, ejus inexhausta prudentia provocatus, familiarius sibi illum adoptavit, consiliis ejus domi forisque in omnibus uicem cœpit, universa episcopii negotia ad ejus nutum cedere constituit. Videbat enim, quia in consilio impiorum non abit, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiaz non sedet, sed in lege Domini voluntas ejus, simpliciter gradiens vias Domini rectas sine querela, [sequebatur]. Et ideo justum erat ut lucerna ardens ac lucens modio non tegeretur, sed super candelabrum ad lumentum omnibus, qui in domo sunt, poneretur. Sed & Clerus Sanctæ Constantiensis Ecclesiae, industria ejus incitati, communi decreto atque omnes uno animo *Præpositum* sibi elegerunt, cunctisque Ecclesiasticis rebus, ad se scilicet pertinentibus, præfecerunt: qui omnibus præpositus domum creditam, ut Joseph, prudentissime gubernabat, atque ut servus fidelissimus conservis in tempore tritici mensuram prudenter ministrabat. Jam tunc demum accepta opportunitate quasi lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluit, & omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur: sic iste Deo & hominibus dilectus, omnia justè & providè dispensando, pauperes consolando, diversis calamitatibus oppressis succurrendo, in judiciis normam iustitiaz cum moderamine discretionis retinendo; ita carus & acceptus factus est omni populo, semet ipsum per omnia irreprehensibilem exhibendo, ut se non mediocriter gratularentur talem ac tantum promeruisse provisorem, per quem cuncta Ecclesiae negotia in melius reformarent suum vigorem. Dominus enim erat cum eo, & omnia in manu ejus dirigebat, & multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam Ecclesiae substantiam. Et quod scriptum est, qui fidelis est in minimo, & in majore fidelis est: quoniam fidelis in minimo extitit, ad majora illum protinus divina providentia sublimavit.

IV.

Denique cum Reverendæ memoriz Notingus Pontifex vivendi metam attingens, morte debitum absolvisset, & ovile Dei quia sine pastore esse non poterat; summopere quærebatur, quisnam tanto nomine dignus inveniretur. Aderat autem Sanctissimus ac Deo dignus Augostensis Ecclesiae Antistes *Udalricus* ad tumulandum defuncti Præsulis corpus, vel potius, ut reor, ad consulendum viduatæ divinitus destinatus. Verum, cum hic quasi Dei oraculum, summa, ut decuit, cum reverentia pro eligendo Pontifice consuleretur, utpote qui & sanctimonia vita, ætatisque ac sapientia maturitate apud Deum & homines clarus habebatur; ille spiritu instructus consili, triduano jejunio rem quærendam decrevit a gratia Dei, ut Summus Pastor relictis ovibus talem sibi Vicarium dignaretur adsciscere, qui vicem suam digne vel possit adimplere. Omnes itaque quasi cœlesti commonerentur editio, faciunt imperata cum speciali gaudio, animo promptissimo atque devotissimo. Igitur postquam expectata tertia dies illuxit, universa concio in unum convenit, Virique Dci Udalrici quasi divinum præsigium à cunctis tanta unanimitate prestolatur, ut quem ille denominaret voce, procul dubio pastor ab omnibus eligeretur absque ulla cunctatione. Ipse vero inspiratus ab eo, qui dixit: aperi os tuum, & ego adimplebo illud, *Cunradum* qui-
dem

dem Præpositum omnibus offert eligendum, quia ex meritis præcedentibus inventus est dignus subire tanti regiminis pondus. Clerus ergo, sénatus atque populus hoc præoptato Viri Dei auditio præconio, immani gaudio replete in altum extulerunt, cum ingenti jubilo supremi Pastoris laudant clementiam, qui servis suis talem monstrare dignatus est providentiam. Sane cum Clerici prædicarent multitudini, quia *Cunradum* sibi Dominus Pontificem elegit hodie, nullum in tanta multitudine murmur resonabat reprehendentium, sed sancti. tatis ejus præconia ab omnibus ad cœlum ferebantur piis vocibus exultantium. Secundum Apostolum enim bonum testimonium etiam ab his, qui foris erant, habebat: quia, ut supra dictum est, ab ineunte ætate usque ad præsens angelicam vitam inter homines irreprehensibiliter agebat. Itaque felix mater Constantia Cunradum, licet multum renitentem, seque tanto oneri imparem vociferantem, patronum promeruit: per quem quasi post tenebras Ægypti, splendore columnæ ignis à Domino usque hodie meruit illustrari. Anno ergo Dominicæ Incarnationis nongentesimo trigesimo quarto illustris Cunradus canonice ele. ctus condecorari meruit insulis Pontificalibus, atque civitas summi Regis, Ecclesia, tanto speculator feliciter est præmunita.

V.

Ille autem super speculam Domini positus dormitantem pigritia servum non est imitatus; sed secundum nomen suum strenuo consilio pro domo Israel factus est murus æneus, custodias gregis suæ observans sollicitè, aënuntians pacem his, qui prope, & pacem his, qui longe, juxta illud Esaïæ: quam pretiosi pedes evangelizantium bona, prædicantium bona. Non enim subterfugit, quo minus consilium Dei subiectis annuntiaret, unumquemque eorum monens à pravo declinare, bona vero facere, & in his laborantes non deficere, quatenus tempore messis gaudentes merentur in benedictione metere, qui nunc in lachrymis de benedictione fatigant seminare. Hæc itaque agens & semetipsum à sanguine omnium emundans, per quotidiana virtutum incrementa semper ad alta proficiebat, cum corpus suum jejunis, vigiliis & orationibus castigando & in servitutem redigendo per arctam & angustam portam intrare nitebatur. Et quamvis adhuc in terris carne videretur, jam tamen in cœlestibus tota mente versabatur. Jam Christo crucifixus erat; jam illi vivere Christo & mori lucrum erat. Jam dissolvi cum Christo & cum Christo esse cupiebat, permanere autem in carne propter electos adhuc magis necesse erat. Nempe cuncta, quæ aliis prædicabat, opere ipso prius exercebat, reputans ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficeretur. Justitia induitus est quasi vestimento, & quasi diademate judicio suo, quia juxta beatum Job: oculus fuit cæco & pes claudo; & cor viduæ consolatus est, tribulatis adjutor opportunus, miserantium consolator benignissimus. Pater erat pauperum, quibus etiam ex propriis sumtibus *Constantie* instituit hospitium, ubi decrevit, ut duodecim alerentur, exceptis duntaxat passim supervenientibus peregrinis, quibus affatim misericordia impenderetur.

VI.

Spirabat jugiter ad supernam patriam; atque desiderii calore ad videndum Deum Deorum in Sion succensus, peregre factus tertio *venit Jerosolymam*; hac ut reor intentione, quatenus ex hujus visione mens sibi magis flagraret in illius amore. Dolebat namque quodammodo, se tam diu à domino peregrinari, ita ut videretur cum Apostolo Paulo conqueri: quamdiu famus, inquit, in hoc mundo, peregrinamur à domino. Ibi quoque, id est, in terra reprobationis carne resolvi, & in terra viventium cupiebat spiritu collocari, ut si possibile esset corpus in hac, spiritus in illa terra reprobationis diem supremum expectaret. Sed suavis dominus universis, cuius miserationis super omnia opera ejus, *Cunradum* nobis reservabat, per quem nebulosam terram, patriam nostram illustrari disponebat. Itaque divina instigante providentia ad Ecclesiam suæ diu destituta reversus ovilia, sobriè & justè & piè vivendo beatam spem & adventum gloriae magni Dei & Salvatoris IESU Christi expectavit, indefectivè bonum ad omnes operando, maximè autem ad domesticos fidei, usque in finem perduravit. Nullum namque tempus otiosè præterire passus est; sed orationi aut lectio intentus, sive uni Deo prædicans, spiritualia lucra sectabatur, præcavens quoque subiectos arguendo, obsecrando, increpando, cum omni tamen potentia & doctrina, ne aliquo detrimentum gregis sui pateretur. Ædificiis quoque aut veteribus renovandis aut novis construendis insudavit, in quibus tres ecclesiæ à fundamentis construxit, & ex suis prædiis dote liberali ditavit, quarum unam quidem in honore S. Mauritii, in cuius medio figuram *Dominici mausolei* auro & argento decoratam constituit; Alteram in honore Sanctorum Joannis Baptistæ & Joannis Evangelistæ; Tertiam vero extra muros civitatis in honore S. Pauli Apostoli dedicavit. Super hæc omnia congregationem quoque cleri apud S. Mariam nobiliter augmentavit, ipsam ecclesiam multis possessionibus ditavit, ac pretiosis metallis decoravit, profecto cunctis liquido declarans, quod dilexit mandata Dei super aurum & topazion. Nam cum bonis omnibus in hoc mundo abundaret, quibus temporaliter uti, atque florere potuisset, paupertatem sibi potius elegit, nec spem suam in incerto divitiarum posuit,

S. CONRADI GVELFI.

posuit, sed in Deo vivo, qui præstat omnibus abundantia ad fruendum. Ergo omnibus in Dei servitio erogatis, liber, expeditus miles Domini, adversario congreditur nec superatur, quia veluti animal pennatum, oculis undique plenum, circumquaque se suosque providebat animo circumspecto, ne aliquis aditus pateret inimico.

VII.

Non ferens talia humanæ salutis inimicus, aliquam molestiam quieti, quam in Christo possidebat, inferre machinatus, omnimodis ei insidiatus est; sed nulla arte ad eum attingere permisus est; sed sicut vulgo dicitur, ubi per se venire diabolus non potest, illuc dirigitur ejus nuntius, per membrum illius turbatus est servus Dei *Cunradus*. Nam tempore aliquanto post exactos sacros dies quadragesimæ, cum quasi post labores Ægypti, Paschalis agnus debuisset immolari; verus Israëlite *Cunradus* ipso die dominica Resurrectionis sacramenta mysteria celebrare est exorsus: cumque initia sacræ exaltationis devote peregrinatur, & ut carnes agni immaculati JESU Christi ederentur, divinorum mysteriorum tractator libamen sanguinis Christi pariter degustandum ori propinavit. Et ecce subito, ut reor, immissu tortuosæ colubris aranea in calice invenitur, mirumque in modum vita morsque unius vasi includuntur. Hoc viso vir Dei, parumper, quid ageret, trepidus, sed mox in se reversus, atque in eo confusus, qui dixit, si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, vitam & mortem fiducialiter simul exhausit, nec morte laedi potuit, quem vita perennis servavit. Videntes autem hæc, qui aderant, paschalia illis gaudia immanis de periculo sacerdotis adimebat tristitia. Ille autem in virtute Dei confortatus populum sacra communione refectum atque benedictione pontificali præmunitum dimisit, ipseque quasi pransurus cum suis ad mensam accessit. Tum itaque Pater *Cunradus* aliis epulantibus ipse abstinuit, nec ori suo quidquam applicavit: pro quo à quibusdam interrogatus, cum se hospitem in proximo adventurum sustinere responderet, caput protenus super mensam posuit, apertoque ore egressum bellum patet. Et tunc illa venenosa bestia subito per aditum oris erupit, virumque Dei incolumem reliquit, intercisaque Paschalis festi gaudia omnibus letiora reportavit. Quem enim sibi locum vendicaret diabolus, ubi jam mansionem sibi fecerat Spiritus almus? Quæ enim convenientia Christi ad Belial? aut quis consensus templo Dei cum idolis?

VIII.

Sed ne hæc incassum sine aliquo documento videamus protulisse, unum liceat enarrare; quo illum sole justitiae illustratum, ac prophetæ spiritum habuisse valeamus demonstrare. Siquidem cum quadam die consedisset, & res cum domum egredi poposcisset, ad horam egressus in partem secessit, mox redditurus. Quo egresso mox vir nobilissimus ac multis merito præferendus *Gebhardus* clericus tunc ejus, postea vero non tantum dignitatis, verum etiam virtutis ac meriti bares insignis, quique fundator exitit *Monastrii*, juxta *Constantiam trans Rhenum* in ripâ constituti. Hic itaque, cum, sicut jam dictum est, Pontifex egredetur, ascendit, ornamentum sedis sustulit, ipseque in locum Episcopi, plumacium manu tenens, consedit. Ecce autem inopinato Episcopus intravit, *Gebhardum* in loco suo, invitum tamen, deprehendit, cumque mox, ut fertur, affatus dixit: Necdum, inquiens, Gebhardt, locus ille tibi debetur; quia alteri prius destinatur. Sed quandoque erit, cum hoc te Deus dignum judicaverit. Hujus verba prophetæ, qua fulciantur, veritate nimis omnibus patet, quos rerum gestarum cognitio minimè latet. Sancto quippe Conrado ad superos translato, sedem sui Episcopatus reliquit cuidam *Gemensido*, hocque intra quinquevium defuncto, ordinator seculorum in salutem credentium sacerdotii insulam fidelis suo concessit *Gebhardo*. Hujus ergo viri præconium præsentis operis non capit compendium, quia meritorum illius magnitudo proprio vix exprimitur libro: quapropter hinc loqui plura omittamus, & ad exceptum opus exequendum stilum reflectamus.

IX.

Nempe quia scriptum est: similis similem querit, & frater, qui adjuvatur a fratre quasi cœvitæ firma, exinde ab initio promotionis suæ usque in finem Venerabilis *Cunradus* federa illibatae charitatis ad religiosos quosque, sed præcipue ad sanctissimum *Udalricum* in vinculo pacis conservavit, frequenter sacræ ædificationis colloquia requisivit, secularium fabulas, quasi pestem quandam refutavit, quia dominum in Evangelio dicentem recognovit: ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaveris. Igitur dum prefata duo mundi luminaria hac de causa frequentius convenienter, seque multis exhortationibus ad meliora instigarent, una vice in castello *Loffen* dicto convenerunt, ac simul læta momenta sacræ ædificationum colloquii deduxerunt. Est autem in eodem loco ingens præcipitum, ubi tota simul unda Rheni fluminis quasi in immane barathrum ruit, ibique ex tanta aquarum mole in profunda decidentium terra omnis tremit per circuitum, atque in ipso gurgite inter spumantes & evolantes velut sparsi cineris aquas, per noctem aspicientes quasi scintillæ

emun-



emungantur, appareat ex unda. Sane in ipsa ripa manitio prominet supra dicta; in quā dum ambo consisterent alii præfati Pontifices, decurrentes aquas intuentes, conspicuntur eminus in ipso vehementi periculo binæ aviculæ volitantes, & nunc quidem quasi undis cadentibus in profundum depreſſæ, nunc vero altera parte quasi erutæ emersisse. Hæc diutius intuentes præclarri præſules ceperunt admirari, quale hoc genus sit miraculi, quod hæc pennata volatilia minime conentur effugere tanta discrimina, nec minus mirantur, quod mortiferis iætibus nequaquam conuassentur. Quid multa? demum per spiritum decernunt, quod hæc corporea animalia esse nequeant; sed potius spiritus oportere credi, qui his pœnis à culparum maculis debeat expurgari. Itaque sanctis pectoribus usitata pietas confestim adfuit, quæ misericordia animabus extemplo condoluit. Confestim namque consilium initur, ut his quantocius succurratur. Ecce autem pium certamen inter eos exoritur, quis eorum prior altaribus præparetur. Tandem Senior Udalricus salutarem hostiam prior coactus obtulit. Conradus vero interim in loco stationis eventum rei præstolatur. Missa igitur consummata, una disparuit avicula, aperto dato indicio, quod hæc liberata sit de periculo. Ad metatum (*) dehinc Udalricus accessit, & Conradus agnum illibatum immolatus perrexit. Altera quippe avicula sola cernebatur, quia socia illius jam erepta, requiescebat. Igitur mox & Cunradus libamen sanctum peregit: & jam hæc una, quæ remanserat avis, sicut & prior evanuit. Hic liquido experitur, quod veritatis ore fidelibus promittitur: Si quid, inquit, petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Sane una harum species avicularum anima fertur fuisse cujusdam servi Dei, cui nomen Notingus, qui apud Aveniense cœnobium diutius Christo militabat inclusus. Ergo hoc loco diligentius attendat auditor, quid in futuro patiatur profanus peccator, si talia pertulit, qui se mundo crucifixit; & animo recondat, quia profecto horrendum est incidere in manus Dei viventis, apud cuius tremendum judicij examen, si justus vix salvabitur, peccator & impius ubi parebunt.

X.

Sane plura his gestorum beati Cunradi in carne degentis investigare minime potui: sed tamen ex his paucis, quæ retulimus, metiri poterit lector, quantæ sanctitatis virtute præmineat eximius iste Confessor, jam vero egregius cultor terræ viventium. Cunradus à primo mane usque ad ultimam diei particulam in vinea summi patris familias fideliter desudaverat, jam Ægyptum hujus mundi cum suo principe potenter attriverat, & tabernaculum Deo Jacob summo decore circumdata erexerat, atque viam mundani deserti ab initio Pon-tificatus sui usque in præsens quadraginta duorum annorum, quasi totidem mansionibus, multigenis tentationum afflictionibus probatus superaverat; & ecce quasi quidam verus Hebreus per petram, quæ est Christus, ab omni carnali virtu circumcisus in hæreditatem supernæ re-promissionis, ac si nimium fessus, pervenit. Carnis quippe ergastulo in senectute bona absolutus, & ut vere credendum est, civitatem coelestis Jerusalēm cum hymnidicis Angelorum concentibus introductus, pro apportato lucro beatum euge hodie promeruit audire, & stolam beatæ immortalitatis induere, atque inter agmina præcipuorum sacerdotum liliis coronatus triumphare. Pretiosius vero sacratissimi corporis thesaurus, sicuti ipse adhuc vivens disposuerat, apud Ecclesiam S. Mauritii, quam ipse construxerat, extrinsecus juxta parietem summa cum reverentia reconditus est. Sedit autem in episcopatu annia quadraginta duobus; anno vero Dominicæ incarnationis nonagesimo septuagesimo sexto, regnante Ottone Imperatore secundo, sexto Calend. Decembrii feliciter migravit ad dominum cum ipso immortali vita fruiturus in perpetuum.

Translatio Prima.

Cum igitur Deus servulum suum Cunraduni hoc mari magno & spacio transmigrato in cœlesti patria collocaisset, quandoquidem mors per successiones hominum & temporum, cuncta oblivione, nisi sibi replicentur, solet abolere; Redemptor humani generis meritorum ejus magnitudinem signis & prodigiis voluit clarificare, ita ut iustitia ejus oblivionem in seculum nequaquam possint accipere. Tantam denique gratiam suæ largitatis apud ossa ejus cunctis, diversis calamitatibus miseris laborantibus, dignatus est omnipotens Deus ostendere, quantam, nullarum etiam dissertissimarum exprimere valeat facundia linguarum: paucis tamen attingamus, ut vel vestigia sanctitatis ejus quærentibus quo modo ostendamus. Igitur cum permulta temporum curricula diversis temporibus apud sepulcrum beatissimi præfusilis Cunradi miraculorum clarescerent insignia, celebre nomen ejus ubique serebatur. Factum est autem temporibus venerandi Antistitis Gebhardi ejusdem nominis tertii, [quod] placuit eidem Episcopo, & consilio habito cum beatæ recordationis Hainrico præposito ac vicedomino ejusdem loci, ut ad totius cleri & populi votum animo concordante, transtulerunt corpus ejus de priori sepulcro in ecclesiam S. Dei Genetricis Mariæ, ibique cum honore & reverentia posuerunt illud retro altare S. Crucis, sub pulpito ejus.

(*) Forte, ad meditationem, id est, ad meditationem vel observationem alterius mempe avicula.

ejusdem ecclesiz, ne videlicet clarissima lucerna sub modio lateret absconsa; sed omnibus qui in domo sunt, ea clarius fieret manifesta. Prefatus vero Hainricus prioris locum monumenti altius extructum celebri memoria decoravit: Capellam ejus antiquitus inibi construētā, sed tunc desolatam destruxit, aliamque in sublimi ædificavit, quam in honore S. Nicolai dedicari fecit. Novum etiam tumulum variis ornamentis decoravit, idemque totum ejusdem loci claustrum renovavit, novisque structuris exornavit. Nunc ergo, quia priorem B. viri translationem per paucis expedivimus, aliqua etiam de miraculis ejus breviter explicemus: In quibus tamen Lector à nobis ordinem, quo quid tempore factum sit, non requirat; sed ex innumeris pauca admodum recognoscens, ex his ad amorem cœlestium aliquatenus quasi confortatus incalescat.

Duo igitur cœci à nativitate ad tumbam S. Pontificis Cunradi per Deum perque ejus merita protinus sunt illuminati, & quod per naturalitatem minus habuerant, per gratiam pii intercessoris à Deo promeruerunt. Ex hoc namque liquet factō, quid intus per hunc Sanctum geratur in occulto, quia videlicet, qui visum reddidit carnaliter orbis, multo libenter fideliter postulantibus aeterna lumina pandet, peccatis obtenebratis.

Præterea quidam privatus incessu, beati Cunradi intercessu die noctuque flagitabat sanitatem promereri, quo sarcinam corporis firmis valeret gressibus sustentare. Hoc dum ferme sex mensibus infatigabiliter gereret, & quadam die orationi attentius incumberet, subito sustentaculis, quibus nitebatur elapsis in terram corruit, ac quasi mortuus totus obriguit. Astantes autem ut viderunt, protinus accurrerunt, mortuumque putantes levaverunt. Nec multo post oculos aperuit, crura extendit, gaudensque & exsultans cum favore omnium sanus abscescit.

Item puer quidam ex infortunio ita debilis est factus, ut in modum quadrupedis manibus & genibus reptaret curvis. Hic magno æstuans desiderio supplicavit patri suo, quemus Constantiam deferretur, si forte sancti salvaretur Cunradi intercessionibus. Quo dum navi adductus pervenisset, ante memoriam sancti viri depositus, ab omnibus miserabiliter est admiratus. Oblationem tamen suam postquam obtulerunt, puer ad sanctæ Dei genitricis altare, ut potuit, reptando pervenit, seqve manibus in altari sustentando sensim erexit, & munusculum, quod attulerat, aræ imposuit, quem protinus piissima Dei genitrix misera fanauit, &c, ut credendum est, una cum beato Cunrado, pietatis suæ misericordia respectum, fanum atque gaudentem patri restituit, cunctorumque ora laudibus & exultatione replevit.

Muliercula quædam plantis ad posteriora retortis circa tumbam B. Præfulis Cunradi aliquot diebus volutabatur, ejusque auxilium tota intentione precabatur, quæ dono gressum donata, plurimis annis in eadem civitate in testimonium adeptæ curationis est demorata. Non solum autem ex vicinis, sed etiam ex longinquis regionibus advenientes, quo cunque incommode detinentur, ejus meritis optatam sanitatem plerumque promerentur. Unde Gallus quidam Arnoldus nomine Pictaviensis, qui jam duodecim annis caruit unius pedis usu, sed ascellis appositis sustentabatur duobus baculis; cum longinquus viator advenisset, & multa mirabilia sancti hujus, de quo loquimur, certo certius compreisset, continuâ prece ejus suffragia quærebatur, quæ jam tum multos invenisse audiebat. In genu ejus quidam tumor nocuus excreverat, & tibia cum pede, subtilis ut fistula, arida remanserat. Contigit ergo, ut in sacratissima nocte Pentecostes apud sepulcrum sanctissimi pervigil in oratione pernoctaret, & matutinorum vigiliis indefessus intercesset: cum repente arida membra novo dolore incipiunt torqueri, ita ut humo prostratus, sensu & voce cogeretur privari. Dum ergo tempus hymnum dicendi instaret, & prius paralyticus omnia ora ex sui consolatione ad laudem ex integro excitaret, homo vires cum incessu per B. Cunradum recuperavit, & ut cum cæteris, immo præ cæteris, jubilum latidis daret, sanitate latro corde resultavit. Fit præsens festivitas tanto in omnium mentibus latior, quanto spiritus paraclytus apparuit in donis abundantior.

Fit vero plerumque, ut præstitum donum gratia ingratis ad tempus aliquando subtrahatur, ut potentiam medici postmodum magnificenter ex reddito laudibus extollatur. Denique puella quædam peruenit Constantiam, quæ digitis in volam contractis, onus inutile portavit ex utero matris suæ. Hæc ante memoriam B. Cunradi curata, post simplicitate siue stultitia animi accepta, Dei ingrata, ecclesiam rem celans est egressa; quæ statim pristina debilitate occupatur, nimioque dolore atque stupore percussa continuo regreditur. At ubi rem gestam innotuit, sanitatem, quam antea, recepit, cunctisq; mirantibus cum gratiarum actione recessit.

Quidam autem inter suos non ignobiles, unicum filium habentes, Deo eum obtulerunt, liberalibusq; studiis eum imbuendum tradiderunt: qui ex infortunio paralysis dolore percussus æger incedebat atque claudus. Parentes itaque ejus nimio confecti inærore, ad urbem Constantiam illum cum multis aliis detulere, si forte clementia hujus Patris unicuius filius eis redderetur, ut quandoque in ministerio tabernaculi veri ministris Christi jungenetur. Itaque ad sepulchrum servi Dei perverierunt, orationem devotè peregerunt, ac deinde hospitium suum intrantes manserunt. In crastinum autem mater pueri quandam cognata

cognatam suam in civitate voluit visitare, ad quam pergens, per ecclesiam S. Mariæ necessè habuit transire, ad orationem apud sepulcrum iterum instituerunt, puerumque juxta tumulum viri Dei reposuerunt. Post orationem vero homines suos cum puer remanere iussérunt, & vir quidem ad spectaculum nundinarum processit; mulier vero, quo cooperat ire, perrexit. Necdum limen ecclesiæ longe excesserant, & ecce puer magnis vocibus matrem inclamat, quæ statim ad vocem filii concitè recurrit, ejusque in occursum puer sanus exilivit, eamque latetis complexibus per medium brachiis constringit. Quanta illinc exorta sint gaudia lacrymarum, plene nec lingua effari, nec stylo facile poterit exarari.

Præterea duo virgines de Monasterio, quod à Constantia non minus uno distat millio diversis infirmitatibus laborantes atque de carnali medicina desperantes, ad hujus sancti viri Cunradi tumulum pervenire desiderabant. Una denique ex his quicquid alimenti pro sustentatione percipiebat, per continuos menses octo protinus evomebat: Altera vero paralysi percussa nimia ægritudine laborabat. Hæc itaque ambæ prima cujusdam noctis hora Constantiam navigio delata & ante sepe dicti atque dicendi Confessoris Christi memoriam expositæ precesque ab ipsis atque pro ipsis à presentibus devotissimè sunt effusæ. Tum deinde ex poculo ipsius patris, quod in eadem ecclesia debita cum reverentia hactenus servatur, modicum aquæ cum degustassent, seqve attentius Domino commendassent, virtute cœlesti per meritum pii Patris ambæ protinus sanatae atque cum immensis gratiarum actionibus proprio sunt loco restituta.

Inter innumeros quoque diversis pro necessitatibus ad suffragia beati Pontificis convenientibus muliercula quedam advenit; jam in ægritudine ita confecta, ut tam ex sinistro latere, quam ex collo patentibus ulceribus sanies proflueret quamplurima. Hæc itaque cum ex jam dicta infirmitate multis diebus, ut dictum est, laboraret, humore tandem paululum siccato magis tabida remansit cum brachio ejusdem lateris à sinistro. Eadem quippe jam antea non omnimodo frusta per visum consolabatur, quia sibi quam sepe, quod ante memoriam Beati viri sanaretur, in somnis videbatur. Igitur ad locum cum aliis, qui festivitas gratia convenerunt, perveniens, quia pene nuda erat, ad publicum accedere erubescens, cunctis ad ecclesiam festinantibus domi moerens remansit, largoque imbre lacrymarum dolori satisfecit. Tum quidam miseratione permoti vestium aliquantulum contulerunt, quibus misera induita, quasi jam dives facta, ad ecclesiam cum aliis processit latabunda. Plurima igitur adstante turba coram tumba S. Confessoris constitutæ oratura, aridam deinde manum sinistram cum adjutorio dextræ Sarcophago Sancti simpliciter imponens, nec multo post sanatur, atque restitutam cum brachio retrahens, Deum qui in sanctis suis mirabilis prædicatur, benedixit, immensoque repleta tripudio repedavit.

Quædam vero debilitates corporum immittuntur, pro reatibus peccatorum à Deo, dumque is qui sive pro suis, sive etiam pro parentum culpis debilitatur, à noxiis criminibus in anima absolvitur, vinculum corporis etiam plerumque relaxatur, ut videlicet per corpus in aperto declaretur, quæ circa animam in occulto gerantur. Plerumque etiam contingit, sicut Dominus in Evangelio dicit, ut nequa pro suis neque pro alienis peccatis homo constringatur; sed ut gratia Dei in illo manifestetur. Quarum rerum omnium evidens indicium in sequenti miraculo patebit, si quis tamen vigilanter discernere valuerit. Mulier quædam à primæva ætate paralytica ad sancti viri delara est, jam matura ætate, memoriam. Quæ patrociniis ejus curata mox in lascivæ ætatis prorupit petulantiam. Itaque per quendam Clericum gravida inita sobole prolata, dolore pristino continuo est occupata. Quæ piissimi medici iterum revisit sepulturam, ibique iterum ex parte recipere subtractam promeruit gratiam. Denique omni vita sua postea tempore membrorum omnium rigiditate, informi statu corporis penas luit amissi pudoris.

Non solum autem in præsentiam reliquiarum ejus advenientibus, verum etiam quaque parte terrarum ejus nomen invocantibus, in cunctis necessitatibus benignus adest patronus beatus Confessor Christi Cunradus. Nec mirum, quia utique, illi incircumscripto Spiritui unitus cohæret, qui universam creaturam majestate sua complectitur, regit & implet. Unde quendam adolescentem flumen Tura dictum transfere cupientem mirabiliter, ut creditur, de periculo mortis liberavit, eumque contra spem parentibus incolumem restituit. Is itaque cum die quadam vespertino tempore jam dictum fluvium incaute transire, in limoso vado arborumque radicibus pleno irretitus, infixus est in limo profundi, & mox erat ei substantia transeundi. Cumque obſitare contra impetum fluminis non valeret, nec gressum quoque movere posset, planum se super undam projectit, si forte vel natale vel aliter evadere posset. In vanum ergo laboravit, quia pedibus insolubiliter profundu adhæsit. Quid plura? unda vehementi penitus absorbetur, vestes ejus in littore observantes hoc viso vociferantur, parentesque citius advocantur. Cives omnes cum parentibus adveniunt, undique discurrentes sollicitè querunt, nec inveniunt: ad ultimum etiam retia undique per gurgites trahunt, & nihil proficiunt. Suæ quoque forores submersum fractum flebili quærimonia subsequuntur: & quamvis locus periculi monstraretur, omnis inquisitio eorum spe non inveniendi frustratur labore. Igitur fessi & nocturnis tenebris ob-

volu,

voluti, domum quippe tristes abierunt, miserumque B. Cunradi patrocinis obnixe commendaverunt. Aliquantam jam parte noctis transacta puer unda vehementi in columnis projectetur littora, qui in se aliquantulum reversus, qualiter circa se actum sit, non mediocriter est admiratus. Luce enim adhuc diei flumen se ingressum esse recolebat, & nocturnis tenebris egredi se, nihil de re gesta cognoscens cernebat. De his ergo hæsitans domum nudus redibat, ostiumque, ut aperiretur, pulsabat. Quanto tandem exceptus sit gaudio, nullius enarrare poterit sermo. Dies ut illuxit crastina, plebs ad eum venit univera, quasi de mortuis resuscitato aliquid novi auditura de futuro seculo. Ille autem nihil de his referebat, quia nec se in aliquo periculo fuisse recognoscebat. Omnibus ergo visum est precibus B. Cunradi, illius hunc esse salvatum adjutorio, cuius gratia Israel submerso Pharaone viam meruit in mari rubro. Ipse quippe sanctus vir solus, dum vixit, in lacrymis seminavit, sed non solus gaudens usque nunc manipulos collegit. Solus, inquam, tunc in laboribus insudavit, sed non solus in perceptione præmii exultavit: certesimum quippe fructum attulit, ex quo multos usque in hodiernam saginavit. Nec nostro quippe nec cuiusquam stilo omnes sigillatim poterant annotari, qui beneficis illius haec tenus meruerunt adjuvari. Ad illius enim sacratissima ossa, ut breviter & semel dicamus, cœci illuminantur, dæmones ejiciuntur, paralytici curantur, debiles & claudi sanantur, hostilibus vinculis irretiti, ad ejus sancti nominis invocationem à nexibus solvantur, atque diversis incommodis laborantes consolantur, & quod his magis est omnibus, diversis peccatorum scēnibus aggravati exonerantur. Tanta enim monstra, cera formata, circa monumentum ejus conspiciuntur dependentia, ut totius numeri rationem excedere videantur sui magnificentia. Qvisquis demum ex aliquo dolore, ejus liberatus est adjutorio, maximum se paſsum putabat detrimentum, si non suæ curationis hujusmodi palam ostenderet signum. Et quanquam hæc mirabilia à præcis temporibus per illum semper virtus operaretur divina; à temporibus tamen Udalrici Episcopi multiplicia sumperunt incrementa.

Die quodam namque Bruno Trevirensis Archiepiscopus supervenit, quem totius Cleri ac populi caterva cum hymnis & laudibus honorifice suscepit, & inter easdem laudes in conspectu omnium claudus quidam, evideat loci indigena curatur, ac deinceps quotidianè tanta inibi coruscabant mirabilia, ut nullo modo potuisset dubitari, quin nostrum genus per viscera misericordia suæ visitasset gratia divina. Unde & in cunctis finibus terrarum, savorissimo odore sanctitatis ejus attracti quotidianè innumerabiles confluebant, in quibus nullus vias longioris laborem se perdidisse queritabat: sed omnibus illuc pervenisse maximum lucrum fuit acquisisse. Sacerdotes etiam cum pleibus suis dominicum præferentes vexillum catervatim confluebant, atque cum hymnis & laudibus dominum nostrum JESUM Christum magnificabant, quoniam in sæculum misericordia ejus.

*Incipit Translatio (secunda) Sancti Cunradi Episcopi
Constantiensis.*

Redemptor humani generis Dominus noster Jesus Christus per merita egregii Confessoris sui atque Pontificis Cunradi mortalibus, multis beneficiorum signis mirabiliter consulens nomen eius ut oleum effusum mellifluo rumore longe lateque dilatavit, ostendens nimirum in terris, qua gloria animam ejus sublimaverat in cœlestibus choris. Quamvis autem nulli dubitare licuisset, quin illum Dominus jam inter agmina Sanctorum gloriose collocasset Ecclesiaz: tamen sanctam universaliter ejus memoriam inter sanctos minime frequentabat, sed adhuc quasi inter mortuos deputabat: quia ex Apostolicæ sedis auctoritate, ut ejus solemnia venerari deberentur, adhuc decretum non processerat. Quapropter Reverenda memoria Udalricus, ejus nominis primus Constantiensis Ecclesiaz Episcopus, utique efficax atque strenuus, cum pro hoc Romanum Antistitem crebris litteris interplasset, hoc immutabilis sententiaz responsum accepit: Vitam ipsius Sancti in Generali Synodo coram Apostolico recitandam & comprobandum fore; testes insuper idoneos signorum, quæ per eum fiunt seu facta sunt, adhibendos. Antistes igitur hoc ut cognovit, Monachum quendam virumque eruditissimum (*) ex Augusta civitate apud se exulanter convocavit, eumque vitam sepe dicti Patris tam ex antiquis schedulis, quam ex vetustis relationibus investigatam conscribere postulavit. At ille præceptum quidem obedienter suscepit: efficaciter autem, ut iussum erat, adimplevit. Præsul itaque posthac eundem Monachum, qui postea Monasterio Beate Afræ penes Vindelicam strenue præfuit, atque Vice-Dominum suum Heinricum, qui & ipse quoque Cellar S. Udalrici secus Constantiam sitæ Prepositus exitit, viros, inquam, tantæ legationi valde idoneos, cum litteris Pontificalibus ad sedem Apostolicam direxit; cui tunc præterat Kalixtus Secundus, vir tanto nomini, merito ei sapientia, aptus atque dignissimus. Cui cum præfati Pontificis Legati causam, pro qua missi fuerant, intimassent, ille cognitis Beati Cun-

B 2

Cun-

(*) Puto Udaliscalcum.

nihilpotest mol. (*)

Cunradi Episcopi gestorum præconiis ex decreto Generalis Concilii rescripsit, ut si vera esse agnoscerentur miracula, quæ per eum à Deo facta dicuntur, scripturis & lectionibus memoriter deinceps tenerentur. Recordatio enim ipsius inter Sanctos futuris temporibus ex Apostolica sedis auctoritate haberetur. Litteris itaque hæc continentibus Legati quintò Kalendas Aprilis Lateranis à Kalixto Papa ditati & Apostolica benedictione muniti patriam redire decreverunt. In itinere autem à quodam in captivitatem sunt redacti, atque ab eo aliquanto tempore quæstus gratia custodiz⁹ mancipati. Impositi ergo ergo istulo inertī non indulserunt otio, sed jam dictus Monachus rogatu concaptivorum suorum s̄pē dicti Confessoris Christi Cunradi svaviter modulatus est, quam non multo post dimissus Pontifici cum Apostolicis litteris detulit; cui de adventu suo maximum gaudium contulit. Perlectis vero Epistolis coram Clero & populo Pontifex Venerandus Udalricus inito consilio, celebri edicto longè latèque jussit promulgari, ut die sexta Kalendas Decembris, hoc est, die depositionis Beati Cunradi omnis dignitas omnisque sexus Constantie convenient, quatenus ipse Sanctus à numero mortalium eo die in Ecclesia inter Sanctos defteretur, quo olim jubente à mortalibus anima ejus inter ipsos translata cognoscitur. Hoc igitur dulci rumore fideles undique incitati die dominata prompto animo conveniunt in numeri, non solum ex vicinis, verum etiam ex longinquis regionibus & civitatibus. Aderant autem tunc in præsentia Patres Monasteriorum viginti quatuor, cum religiosorum caterva discipulorum, Presbyterorum etiam atque Diaconorum, aliorumque Clericorum infinita multitudo. Secularium vero dignitatum Proceres religiosa cum, devotione pariter convenerunt. Tres videlicet Duxes cum Praefectis atque Consulibus plurimis; militum quoque turmæ cum innumera vulgi multitudine sexus utriusque & ætatis. In quibus omnibus solum erat admirabile simile delectabile, quod cum non solum Ecclesiæ atque domus, verum etiam plateæ atque campi ita constipati essent hominibus, ut vix quicquam se quisquam vertere posset, inter quos plerique inimicitarum discordiis ita erant se juncti, ut sanguinem alterutrum magno opere sifirent; nullarum tamen seditionum vel rixarum tumultus in his proflus audiebatur, sed fraternus amor omnium ibi corda possidebat. Ibi juxta Prophetam lupus cum agno pascebatur, quia nocens & innocens divino officio fervide fruebatur. Ibi leo & bospaleis simul pascebantur, quia cum Sacerdotibus Christi Tyranni crudelis unanimiter vacabant eloquii divinis atque sacrificiis. Aer quoque ipse huic negotio, ut creditur, militabat, quia ultra solitum hibernis temporibus tranquillus atque serenus comeantibus arridebat. Videres corpora universorum æstuare, atque eximia vi comprimentium sude dore madescere; cum quisque alium nitebatur prævenire, ut sacri corporis sepulchrum tangere mercretur vel saltē videre. In cuius conspectu nullus tunc vacuus apparuit, dum quisque cum oblatione materiali fide cor plenum offerebant. Pecunia quoque plurimum, collatum est, ex qua jussu Præsulum sarcophagum ipsius Sancti ex parte decentissime decoratum est. Multi tamen dum locum adeundi sepulchrum non inveniunt, dona sua per alios transmittunt: ipsi vero discedunt quasi frustrati, nimia modestia animo perturbati. Non paflus Deus tantam suorum fidelium devotionem evacuari, hujusmodi signo dignatus est eos incitari. Denique cum tantæ celebritatis hora vespertinæ laudis instaret, & turbarum multitudo undique ad instar apum convolaret, mulier quædam, cuius dexteram longa paralysis molestia contraxerat, ejusdemque lateris oculum obcœaverat, impetu concurrentium advecta, ad memoriam Beati Viri paululum constitut oratura. Et quia diu ibi morari non licuit, pius quoque medicus eam diutius non distulit, sed utroque incommodo ad primam vocem orationis liberam tradidit. Clamore igitur tumultum populi vincente, non valens manus in cœlum laudans & exultans protendere, acceptum Domini astantibus intimavit, omnesque de sua tam subita salute in jubilum laudis excitavit. Noti autem ejus cum Presbytero, cuius curæ subjacebat, advenientes, rei veritatem Episcopo attestantur, quamvis digitorum unguibus manus sulcata aptius rem gestam testaretur. Nox subsecuta vigilis laudibusque divinis ducitur plena. Certant cuncti sacras reliquias adire, etiam dum nullum locum illuc pervenienti sibi cernunt patere. Iam matutinorum laudes transferant, & ecce iterum nova gaudia surrexerunt. Homo quidam jam annis viginti claudus fide integra, spe recuperandæ salutis arrestus bovem suam, quam solus possederat, sexaginta argenteis vendiderat, quos plena devotione Sancto detulit offerendos Cunrado. Quid tamen faceret? Undique turba, obstiterat infinita, quæ sibi aditum clauserat (*) constituta. Desiderio miser æstuabat, quia qvo cupierat, pervenire minimè poterat. Sacerdos vero, in cuius domo jam diu manserat, casu adveniens, æstuantem hinc reperit, statimque quid haberet moeroris, inquisivit. Causam protinus ut agnoverit, fidem ejus approbans eum ad sepulchrum nimio cum labore protractit. Tandem ad locum desideratum, ut pervenit, totum qvod possederat, pecunia Sancto hilariter obtulit: jam ab eo salutem corporis quasi debitam violenter exegit. At vero pius debitor fide non diu protraxit exactorem, reddens ei, qua carebat, maturius incessus sospitatem. Laus in omni ore resultat, quia virtus Christi in salutem credentium per Beatum Conradum redundat. Igitur postquam dies exaltationis illuxit, Pontifex Udalricus Ecclesiam,

rem

(*) Forte confipata.

rem expectatam ad effectum perducturus intravit, gradum ascendit, adeundi sepulchrum, spatiū sibi aliisque sacerdotibus dari poposcit: Sanctum, quem desiderabant, in medium se eis prolaturum promisit. Multa ergo svadens, sed nihil proficiens Pontificalibus induitur ornamenti solis duntaxat nudatur plantis. Alternis Sacerdotes confessionibus purificantur, ac demum contritis cordibus auxilio Principum parvissima semita ad sepulchrum obtinetur. Lapide tandem monumenti sublato, etiam ligneo, quo sacrum depositum servatur, contracto, pretiosissimus reperitur thesaurus, serico pallio decenter involutus. Episcopus autem reperitas complectens ossium margaritas, una cum astantibus fudit lacrymas gaudio plenas. Sacratissimis ergo reliquiis, ossibus videlicet atque cineribus Beati Cunradi diligentissimè collectis arque in sarcophago ad hoc noviter preparato digna cum veneratione reconditis, ex collata pecunia idem sarcophagum postmodum ex parte deauravit, atque pretiosis lapidibus decoravit. Brachium tamen ejus dextrum forinsecus retentum segregatum minori receptaculo conditum decrevit in promptu habendum, populum scilicet Dei ad consignandum. Tum vero ligna loculi putredine jam labefacta diripiuntur, seque felicem deputabat, si quis particulam saltē pārviſſimā ex illo sibimet rapere pōret. Deinde onus desiderabile præferentes ad Ecclesiam B. Protomartyris Stephani cum maximo labore processerunt. Sed populo circumquaque immanissima opportunitate irruente atque vota sua offerente, seque attactu sacri fetrei sanctificare cupiente, vix unde processerant, revertuntur. Pompa vel pōrestas seculi ibi nulla: conditio ibi omnium erat aqua. Post hāc. Principes exercituum dona hilariter. Sancto offertū familiarum suarum atque pādiorum: sub hac tamen conditione, ut hospitiī, quod ipse Sanctus quondam instituerat, sed jam collapsum fuerat, serviant instauratiōnē, & juge solatium inveniant ibi pauperes & peregrini. Episcopus autem id ipsum quidem facere primo & ipse cupiens, domū edificavit: sed postea saniori usus consilio religiosos quosque clericos regulariter vivere cupientes, foris muros civitatis Constantiae apud Ecclesiam Sancti Udalrici congregavit, quibus ctiam ex jam dictis aliisque Ecclesiaz suā possessionibus aliqua in subsidū concessit. Horum autem conversatio in eo loco per illum quidem exordium sumisit, incrementum vero in hodiernum diem laudabiliter gratia Christi ministrare non desinit. Populorum igitur decrescente frequentia ab Episcopo omnibus, qui illuc ad Festum pia devotione convenerant, vel de rebus suis aliquid obtulerant, plenam à Christi gratia pāoptavit indulgentiam, & hoc ideo huc usque distulit, qui nulla vox strepitum populi tumultuantis prius superare potuit. Hoc itaque donum & ipse quidem præsentibus consulit: absentibus vero per alios deportari jussit. Tum deinde Pontificali benedictione muniti & B. Cunradi Patrocinis comitati, h̄i quisque in sua remearunt, atque Deum in omnibus, quā viderant & audiverant, glorificaverunt. Merito ergo dixerim, eos auxilio Beati Patris comitari, qui nullis in via potuerant periculis conquaſſari. Ut autem, qvod dicimus, rebus approbemus, qvid qvibusdam inde remeantibus contigerit, interim dicemus. Navim denique prægrandem plures ex eis, *Podanicum* lacum transnavigare volentes, intraverunt, littusque deserentes profundi terga sulcaverunt. Ecce autem in medio laci navis per media discinditur, atque in momento aquis repleta mergitur. Qvis ergo explicare poterit, qvis terror ex præsentia mortis omnes invaserit? Sub undis tamen navis hominibus onusta, meritis, ut creditur, Beati Cunradi manu creatoris retenta graditur, nec mergi potuit, quamdiu hospites Beati viri portavit. Omnes itaque incolumes eti⁹ humectatos exposuit: qvia, ut superius diximus, viatores Sancti Patris imminentis periculum tangere non potuit. Cujus sunt hāc nisi tua Christe opera? Qui vetera novis semper innovas mirabilia. Ut enim olim Ionam ventre ceti undis maris subtraxisti, sic & istos, sola tua protegente gratia à periculo subduxisti. Recedente igitur Christi advenarum turba, cives Constantienses facultate prægrediendi reperta, una cum Pontifice suo dilectas Patroni sui Cunradi reliquias tulerunt, atque civitatem suam his præmuniendam lustraverunt, ut videlicet eo melius ejus patrocinii tuerentur, quo frequentius ejus exuviarum præsentia visitarentur. Ad basilicam quoque Sanctissimi Præfulpis Udalrici quondam amici sui illum attulere, ut sicut viventes quondam in carne, ita etiam post mortem se invicem viderentur visitare. Inde itaque lati revertentes, novum, in quo reconditus fuerat, sarcophagum in monumento, quo & prius requieverat, posuerunt, ipso tamen sepulchro prius in melius reformato, ne videlicet fideles ejus accessu fraudarentur, cuius commenitie omnes etiam cœligenz congratulantur. Ibi namque usque hodie plurima ejus exuberant beneficia, dum qvisqve fidelium per ejus patrocinia ad laudem Christi percipiunt qvāqve postulata. Talia sunt quippe tua Christe p̄m̄ia, qui propter tua mandata spernentibus mundana non solum in terris centuplum, sed etiam in cœlis gaudia cum vita promittis sempiterna. Ecce enim iste, qvi te secutus est mente promissima, atque in tempore suo fidelis fuit super pauca, nunc in superna civitate constitutus est supermulta. In memoria quoque erit aeterna, atque in extremo die judicii non timebit ab auditione mala. Nunc ergo qvia tibi Domine laureatus existit in coelesti curia; siste eum, quāsumus, ad te perferre supplicum vota, ut per ejus quandoque interventum ad consortium mereamur pervenire supernorum civium. Facta est autem hāc translatio egregii Christi Confessoris Cunradi anno Dominica Incarnationis millesimo

centesimo vigesimo tertio, Indictione secunda, Romanam Ecclesiam regente Calixto Papa Secundo, ordinationis quoque Udalrici Constantiensis Episcopi, ejusdem nominis primi anno quinto, imperante Hainrico Imperatore Augusto, die sexto Kalendarum Decembrium, dominante super omnia in cœlo & in terra Iesu Christo Domino nostro, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in omnia secula seculorum. Amen.

II.

CHRONICON VETVS DVCVM BRVNSVI CENSIVM ET LVNEBURGENSIVM.



Irca principium conversionis Saxonum, LVDOLFVS, Dux *Saxoniae*, post mortem Karoli annis LX, fundavit Ecclesiam *Gandersem*, & fidem, quam novellam adhuc habuit, pii operibus confirmavit. Iste genuit tres filios, ODDONEM, BRVNONEM & TANQUARDVM. Hi duo, *Bruno* & *Tanquardus*, civitatem *Brunswick*, sicut habetur in quibusdam Chronicis, fundaverunt. Unde & quædam pars ipsius civitatis, urbis scilicet, in antiquis privilegiis *Tanquerode* crebrius appellatur. De inculto *Danorum* fuit illis temporibus populo Ecclesiae Dei plaga maxima, qui in *Francia*, & partibus occiduis, omnia crudeliter vastaverunt. Ipsis in *Theutonia* *Bruno* & *Tanquardus* in manu valida occurserunt, & cum eis confligentes, & gloria de eis habita victoria, cum ad sua redirent, inundatione gravi imbrum perierunt. *Oddo* autem, qui de fratribus fuit superstes, Dux *Saxoniae* extitit, regnum Romanorum, quia grandavus fuerat, recusavit. Unde *Conradus* in regem concorditer est electus. Quo cito mortuo, in regem HENRICUS I. Oddonis filius, de consensu Principum est promotus. Iste *Henricus*, de *Vinkel* dictus, coronam raro sibi imposuit, sed regnum humiliter gubernavit. *Brandeborch* urbem, super glaciem castra ponendo, expugnavit: *Slavos* devicit, IX. annorum tributum solventes: simul & interim *Saxoniam* muniens, *Vngaros*, quibus *Saxones* tribuari erant, ejecit, & contra insultum *Vngarorum* *Saxoniae* oppida munivit. Juxta *Waglesleve* L. milia *Ungarorum*, cum quatuor millibus, in prælio superantur. Misne montem contra *Slavos* construit, & urbem *Quedelingeborch*, in qua congregations nobilium seminarum instituit; Ubi filiam suam primam esse voluit Abbatissam. Et ut esset Domina Principum, prædia largissime donavit, Ecclesiam in honore *S. Servatii* dedicari fecit, & in die dedicationis, in refectorio Dominabus XI. fercula, XI. mensalia pretiosa, XI. millia mansorum ministravit. Hic imperavit anno Domini DCCCCXX, & XVIII regnayit.

Huic erant tres filii, BRUNO Archiepiscopus Coloniensis, OTTO primus Imperator, & HINRICUS Dux Bavariae. Quorum mater fuit Domina *Mechtildis* de *Ringelheim*, soror *Reineri* & *Immobi*, qui fuerunt de semine Regis Saxonum *Widekindi*. *Widekindus* Rex Saxonum a *S. Bonifacio* baptisatus, de sacro fonte a *Karolo* est levatus. Qui genuit *Wichbertum*, *Wichbertus Walterum*. Qui ob devotionem *Romanum* vadens, a *Leone* Papa obtinuit corpus integrum *S. Alexandri*, filii *S. Felicitatis*, quod *Wildeshausen* collocavit. Otto fundavit Episcopatum *Magdeburgensem*. Iste in die Paschæ homicidam, qui ipso die homicidium perpetraverat, & in ipsum irruerat, a reatu absolvit, & ne aliquis ei molestus esset, strictius imperavit. Iste primam uxorem habuit *Edith*, reginam de *Anglia*, de qua genuit *Ludolfum* ducem Suevorum. *Edith* obit anno DCCCCXLVII, vii. Kal. Febr. Secundam uxorem habuit *Adelheidem*, de qua genuit *Ottōnem Rufum*, Imperatorem II.

OTTO II. vel RUFUS de *Theophania*, filia Regis Constantinopolitani, genuit, OTTONEM III. Imperatorem. HINRICUS frater *Ottonis I.* genuit *Henricum Ducem Bavariae*, qui *Ottoni III.* successit in regno. *Ottone III.* defuncto, Principes ad electionem Regis in *Polede* convenerunt: Et tunc tractabatur de *Ekebardo*, *Ekebardi Marchionis Orientalis* filio, qui erat dives & præpotens, & *Marchio Orientalis*. *Sifridus* & *Benno*, filii Comitis *Sifridi de Bommenborch*, cum Comite *Thiderico de Katelingborch*, ipsum *Ekebardum* ibidem in *Polede* occiderunt. Qui ad fundum hereditatis sua delatus, super fluvium *Salam* in oppido *Jene* primitus est sepultus. Postmodum in Ecclesia cathedrali *Nuenborch* terræ solemnius commendatur.

DE HINRICO II.

Post hæc in *Hinricum Ducem Bavariae*, ut esset Rex hujus nominis secundus, Principes assenserunt. Hic erat filius *Hinrici* Duci Bavariae, cuius etiam pater *Hinricus*, Dux Bavariae fuit, frater *Ottonis* primi. Unde ejusdem nominis, quot ab uno fratre *Ottone* Reges fuerunt, ab alio *Hinrico* unius nominis, Duces Bavariae successerunt. Iste *Hinricus* sancte & juste regnum rexit; Episcopatum *Bavenberch* fundavit, ubi *Swickerum*, Canonicum *Halberstadensem*, Episcopatui præfecit; qui postea in Papam est assumptus, & *Clemens II.* appellatus.

DE